



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theses Theologicae De Opinione Probabili**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1683?]**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40441**





Th. 2170.

D. IV

3.





108

109

110

111




THEOLOGIA MORALIS

PRINCIPALIA

APPENDIX

INDEX





THESES  
THEOLOGICÆ  
DE  
OPINIONE PROBABILI

QUAS

PRÆSIDE

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS

LYRANO,

DEFENDET

ADRIANUS ENGELBERTUS LANTREMENGE LEODIUS

IN COLLEGIO ADRIANI VI. PONTIFICIS

DIE 8. APRILIS ANNO 1683.



LOVANI,

Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.



## CONCLUSIO PRIMA.

*Explicatur natura sive essentia Probabilitatis.*

**P**robabile dicitur à probatione; hinc sicuti non una datur probationis species, ita quodque non uno modo dicitur *probabile*. Probatio aliquando accipitur pro convictione, sive probatione convincente. Conformiter etiam sumuntur hi termini, *probabile in iudicio externo* ( id est, quod potest probari usque ad convictionem in isto iudicio ) item *vir probate fidei*, homo *probate vitæ*, &c. quæ idcirco observanda vidimus, ne quis, dum fortè apud Veteres ac optimos Authores, *probabile* pluris æstimari videt, quam in hisce The-sibus nos æstimandum esse dicimus, idcirco mox credat illos nobis hæc in parte esse contra-rios. Siquidem nos aliâ, & planè diversâ acceptione vocis *probabile*, illâ scilicet, quâ hodie recentiores, de probabili in his The-sibus sumus locuturi. Etenim cum non contra Veteres, sed contra Recentiores quosdam Theologos has Theses dirigamus, oportet ut de probabili, de quo hi loquuntur, & nos loquamur. Ut propositio quæpiam juxta Recentiores sit proba-bilis, duo requirunt; quorum primum, ut nec de veritate istius propositionis, nec etiam de falsitate ejusdem certò constet: nam si certò constaret ejusmodi propositionem veram esse, eam non probabilem, sed certam, sive certò veram vocabunt. Hinc illorum nemo ipsos fidei articulos, aut conclusiones evidenter indè confectancas, vocabit *probabiles*; uti nec scientiarum naturalium certa principia, aut conclusiones evidenti consequentiâ indè deductas. Porro si propositionem quampiam non quidem certò veram, at certò falsam esse constet, nec tunc pro-babilem appellabunt, sed certò falsam: ex quibus manifestum evadit quod jam dictum est, ni-mirum ad probabilitatem Recentiores requirere ut nec de veritate, nec de falsitate propo-sitionis, quæ probabilis dicitur constet. Ex his concludimus, quod omne probabile sit incer-tum; cum nec sit certò verum nec certò falsum. Si probabile sit incertum, etiam est *dubium*: dubium enim prorsus idem est quod incertum, ita ut incertum & dubium eâdem definitione, hæc scilicet; de cuius nec veritate nec falsitate certò constet, circumscribi possint & debeant: ex. gr. hæc propositiones: *Charitas distinguitur à gratiâ sanctificante*, *Salomon est salvatus*, sunt proba-biles, incertæ & dubiæ; & quia *probabiles*, ideo *incertæ*; & quia *incertæ*, ideo *dubiæ*. Hæc occa-sione primi requisiti ad probabile, juxta acceptionem Recentiorum. Secundò ad probabile requirunt, ut nitatur ratione quam ipsi vocant non modici momenti; vel ut nitatur auctori-tate, quam vocant gravem. Hinc Recentiorum aliquis *probabile* communi omnium nomine de-finiens: probabilis, inquit, sententia, uti communiter accipitur, ita defini potest: *est quæ certitudinem non habens, tamen vel gravi auctoritate, vel non modici momenti ratione nititur. Ratio non modici momenti secundum Recentiores idem valet quod ratio gravis. Gravem auctoritatem dictæ definitio-nis auctor rursus definit, dum ait; auctoritas gravis hæc censeri debet, quæ saltem est UNIUS VIRI DOCTI ET PROBI, qui tamen talem doctrinam non inconsideratè & temerè, sed post perspecta rationum pondera, quæ in oppositum adferri possunt, amplexus est.* Ex his habemus, etsi omne probabile sit *dubium* non tamen vicissim omne *dubium* esse probabile: siquidem non illud *dubium* pro cuius veri-tate nec ratio habetur nec auctoritas; puta quales sunt expressæ in secundo requisito ad pro-babilitatem, id est, nec ratio quam vocant *non modici momenti*, nec auctoritas quæ à Recentio-ribus dicitur *gravis*. *Dubium* dividitur in *dubium negativè*, ut vocant, & *dubium positivè*. *Dubium negativè* est pro cuius nec veritate nec falsitate habetur ratio vel auctoritas notabilis momenti, quale *dubium* nunquam dicitur probabile. *Dubium positivè* est pro cuius veritate vel falsitate habetur ratio vel auctoritas notabilis momenti. An omne ejusmodi *dubium* sit probabile, non est necessum hæc examinare: sufficit namque intento nostro, quod omne *probabile* sit *positivè du-bium*. Sicut natura *dubii* magis innotescit per divisionem jam datam, ita quoque natura proba-bilitatis, dividendo *probabile* in *æquè probabile*, *magis probabile* & *minus probabile*: nam si propositio aliqua probabilis suam contradictoriam, etiam probabilem in probabilitate nec excedat, nec excedatur ab illa, dicetur, *æquè probabilis* puta respectu suæ contradictoriæ: si illam excedat in probabilitate, dicetur *magis probabilis*; si in probabilitate ab illâ excedatur, dicetur *minus proba-bilis*.



*bilis. Porro si propositio aliqua sit tibi minùs probabilis, nimirum quàm ejus contradictoria, necessum est ut tibi sit minus verosimile hanc esse veram, quàm quod ejus contradictoria sit vera: adeoque necessum ut tibi sit magis verosimile quod illa minus probabilis sit falsa, quàm quod sit vera. Si è contrà propositio aliqua sit tibi magis probabilis, intellige iterum magis quàm ejus contradictoria, verosimilius tibi erit quod ista magis probabilis sit vera, quàm quod ejus contradictoria sit vera; verosimilius proinde tibi erit quod ista magis probabilis sit vera, quàm quod falsa. Ex his facillè colliges quod æquè probabilis, sit æque verosimiliter vera ac falsa, & è contrà. In negativè dubiis, qualis est utraque harum: *arena maris sunt numero pares, arena maris non sunt numero pares*, utraque contradictoriarum solet esse æque verosimilis; ita ut non sit plus verosimilitudinis pro veritate hujus, *arena maris sunt numero pares*, quàm pro veritate hujus, *arena maris non sunt numero pares*. Ex quo confectaneum ut illarum quælibet æquè verosimiliter sit vera ac falsa. Et hinc ulterius sequitur propositionem quæ est minùs probabilis, quàm ejus contradictoria, esse minùs verosimilem, quàm alterutra harum determinatè, scilicet, *arena maris sunt numero pares, arena maris non sunt numero pares*: ut proinde si quis deberet eligere unam ex duabus propositionibus quarum altera esset minùs probabilis, altera negativè dubia, ut est hæc, *arena maris sunt numero pares*, ita ut multum ejus interesset eam elegisse quam Deus novit esse veram; sine cunctatione deberet eligere illam, *arena maris sunt numero pares*: nam de hac tanta est verosimilitudo quod sit vera, quàm quod sit falsa. Probabilitas alia vocatur *extrinseca*, alia *intrinseca*; hæc rationi, illa authoritati innititur. Utraque requirit nescientiam veritatis, si probabilis in se vera sit; vel nescientiam falsitatis, si probabilis in se falsa sit: omnis namque propositio sive sit probabilis, sive aliter nobis dubia, in se tamen, & prout Deo nota, vera est vel falsa. Rectè hinc conficies omnem probabilitatem nasci ex nescientia veritatis aut falsitatis. Hæc nescientia in probabilibus quæ ad Theologiam moralem adeoque ad officium nostrum spectant est pœnalis quædam ignorantia, ob peccatum saltem originale inflicta: idem proinde de probabilitate censendum. Quare probabilitas in moralibus est pœna peccati; adeoque non *beneficium*, sed *supplicium* dicenda. Quemadmodum probabilitas nascitur ac dependet ex *ignorantia*; ita quoque pro ignorantia varietate & inconstantia, varia etiam est & inconstans probabilitas: ita ut jam possit fieri probabile, quod antè certò verum aut certò falsum reputabatur; & similiter possit uni esse probabile, quod alter velut certò falsum haberet. Ex quo evidenter confectaneum, quod si probabilitas foret regula morum, tunc morum regula pro temporum hominumque diversitate varia foret & inconstans.*

## CONCLUSIO SECUNDA.

*Exponitur Recentiorum quorundam doctrina de usu probabilium cum sua sequela.*

**Q**ui hodiernum probabilium usum licitum censent, sententiam suam de illis probabilibus intelligere solent, in quibus quidpiam *veluti absolute licitum, sive legi non contrarium defenditur*. De ejusmodi probabilibus statuunt hoc generale principium: *licitum est sequi opinionem, modo sit probabilis*. Plerique principium extendunt etiam ad *minus probabilem* ac simul *minus tutam*. Nonnulli eousque distendunt ut etiam licitum asserant sequi opinionem probabilem alienam contrà propriam. Hoc ad eò generale ac vastum principium, tam in lege divinà, quàm in humana, tam in lege naturali, quàm in positiva locum obrinere intrepidè affirmant. Quibus semel admissis confectaneum erit, quod quilibet illorum authorum, qui à recentioribus *docti* vocantur & *probi*, poterit adversus quamlibet legem humanam ac divinam, licitum facere quidquid ipse post perspecta, ut aiunt, rationem pondera, amplexus fuerit: nam omne istud juxta descriptionem ante datam erit probabile: adeoque secundum illorum recentiorum doctrinam licitum ac tutum. Poterunt proinde ejusmodi authores mandata Dei & Ecclesie suis sententiis probabilibus, ut vocant, ita limitare, interpretari, ac convellere; ut vix ullum amplius sive Dei, sive Ecclesie præceptum vim obligandi retineat. Ut noxia liberè, tati faveant, inquit de ejusmodi authoribus Cardinalis Bona, in Principiis vite Christiane



Paragrapho 46. "mandata Dei & Ecclesie tot limitationibus & pernitiolis interpretationibus  
 ,, convellunt, ut vix detur præcepto locus. Vivunt itaque homines non sicut oportet, sed  
 ,, sicut volunt: quia tot jam sunt de humanis actibus opiniones, ut ferè liceat quidquid lubet".  
 Extat apud P. Joan. Oliva Societatis Jesu Præpositum Generalem Concionum tom. 3. Conc.  
 29. part. 2. quorundam Ecclesiasticorum, ut apparet Romanorum, simile testimonium de  
 ,, sententiis probabilibus: "Vix inquit, in ullam Ecclesiasticam domum ingredior, quin con-  
 ,, tinuò audiam, quid tibi videtur de peste tam lætifera & universali? Et cum interrogo, quæ  
 ,, sit contagio tam abominanda, mihi respondetur adductis superciliis, sermonem esse de  
 ,, summâ illâ confusione inductâ inter Catholicos de tam multis opinionibus, quas appellant  
 ,, probabiles, quæ hoc tempore innoxia faciunt Zachæi fœnora, ambitionem Simonis, iram  
 ,, Esau, murmura Discipulorum, rapinas Antiochi, Scribarum latrocinia, & si exci-  
 ,, piamus Herodis libidinem, & Amnonis lasciviam, quibus tam apertè suffragari non au-  
 ,, dent, quidquid audet ratio status, & quidquid tentat cujusque utilitas, id totum abrogan-  
 ,, tes quod Deus scripsit in Moysis tabulis & quod Ecclesia præcepit fidelibus., Quod duo-  
 ,, bus hiscè testimoniis generatim pronuntiatur de sententiis probabilibus, nimirum per eas  
 ,, jam ferè licitum esse quidquid lubet, facilè esset singulatim & per inductionem, ut aiunt, ostendere,  
 ,, allegando ejusmodi sententias adversùs quodlibet Dei & Ecclesie præceptum: verùm quia id  
 ,, non patitur Thesis brevitas, lectorem remittimus ad Catalogos sententiarum probabilium,  
 ,, quos exhibent Synnichius, Fagnanus, Gonet, Vincentius Contensonius, &c. quibus ad-  
 ,, jungi possunt centum & decem, partim ab Alexandro VII. partim ab Innocentio XI. con-  
 ,, demnata. Si adhuc plures quis desideret, pervolvat aliquot ex Casuistis illis seu Summistis,  
 ,, qui de Papyro, ut aiunt, in chartam scripserunt, illos intelligo, qui in volumen college-  
 ,, runt sententias variorum Theologorum, quos cum doctos astiment ac probos, horum opiniones  
 ,, in praxi securas reputant, & idèò integros earum exercitus adversùs Dei & Ecclesie Leges,  
 ,, magnâ ut putant, boni publici utilitate congregarunt. Justo, an injusto bello istæ sententiæ  
 ,, probabiles, adversùs divinas & humanas leges militent, in sequentibus Conclusionibus exa-  
 ,, minabimus. Hic interim observatu dignum, si vera sit doctrina de usu probabilium sub ini-  
 ,, tium hujus conclusionis expressa, patronos probabilitatis jam tum bello isto, quo mandata Dei,  
 ,, quæ teste David, desiderabilia sunt super mel & favum, velut odiosa impugnant, restringunt & è  
 ,, medio tollunt, id consecutos esse, ut potestatem obtinuerint super omnes legislatores, adeo-  
 ,, que super omnes Principes & Reges, super omnes Episcopos & Ecclesiam, & denique super  
 ,, Deum ipsum; ita quidem, ut illos omnes nemine excepto probabilitatum patroni obligent,  
 ,, ne legislatorum istorum ullus coram Deo, sive in conscientia reum pronuntiet ac veluti talem  
 ,, puniat, quem author aliquis doctus & probus, ut vocant, ab illorum legibus eximit vel absol-  
 ,, vit. Præterea sequitur quod quicumque Theologiam profitentur, cum illorum quilibet viris  
 ,, probis ac doctis sese annumeret, tantam vi illius doctrinæ autoritatem acceperint, ut illorum  
 ,, quivis unus sufficiat adversùs millenos doctissimos & probatissimos viros, dum hi aliquid illi-  
 ,, citum dicunt, quod ille unus dicit licitum: sicuti unus ille sufficit ad probabilitatem opinionis,  
 ,, ita milleni doctissimi ac probissimi non sufficiunt ad improbabilitatem ejus; unus proindè isto-  
 ,, rum qui doctus & probus vocatur suâ autoritate poterit facere licitum quod milleni doctissimi ac  
 ,, probissimi, quidquid conentur, non sic ostendent illicitum, quin in praxi maneat licitum &  
 ,, securum. Hinc factum ut probabilitatum patroni in omni materiâ practicâ, studuerint pro-  
 ,, ducere ac multiplicare novas sententias probabiles, idque sine ullo timore: siquidem sive  
 ,, veræ illæ forent, sive falsæ, futuræ erant æquè securæ ac tutæ.

### CONCLUSIO TERTIA.

*Proponitur status controversiæ.*

**S**ecundum doctrinam recentiorum Theologorum de usu probabilium superiori conclusione  
 expressam, non requiritur ut quis pro regula morum sibi statuat veritatem, sed sufficit si  
 probabilitatem. Dico secundum illos sufficere si pro regulâ morum sibi statuat probabilita-  
 tem.



tem, quia non solum dicunt probabilitatem aliquando excusare, prout dicunt de errore, sed quod probabilitas agnita ut probabilitas reddat nos securos, quod nemo dicit de errore, si error noscatur. Ex quo evidens est quod etiamsi errorem excusantem non statuunt regulam morum, statuunt tamen probabilitatem regulam morum. Adversus hanc in hisce Thesisibus ostendemus, quod regula morum statuenda sit *veritas*, aeterna scilicet & incommutabilis, sive aeterna *sapientia*, aeterna *justitia*, vel, quod in re idem est, aeterna *lex*. Nec refert, quod etiam legibus humanis mores conformari debeant: quia solum debent illis esse conformes, idcirco quia *Lex aeterna*, sive aeterna *sapientia*, per quam *Reges regnant & legum conditores iusta decernunt*, praecipit superioribus legitime imperantibus obedire. Ostendemus, inquam, quod oporteat pro Regula morum sibi statuere *veritatem*, nec sufficiat se conformare *probabilitati*: sed prius ostendendum quod duo illa *probabilitas*, & *veritas* multum inter se discrepent; multa enim sunt probabilia, quae non idem sunt vera. Nequidem vera sunt omnia quae sunt magis probabilia quam eorum contradictoria: quae autem sunt aequae probabilia ac contradictoria pro falsitate aequae ac pro veritate habent verosimilitudinem; ut proinde rotundo, sicut aiunt numero computando, eorum quae sunt aequae probabilia, medietas sit vera, medietas falsa: sed inter illa quae dicuntur minus probabilia, plusquam medietas falsa est. Ex quibus evidens est quod in multis propositionibus sit probabilitas sine veritate, imo plusquam medietas cum probabilitate habet revera falsitatem; si quidem inter propositiones quae hodie vocantur probabiles pars major constatur ex illis quae sunt minus probabiles. Nam persuasio ista quod securum sit quidquid probabiliter licet, fecit ut authores recentiores parum admodum essent solliciti, non solum pro reperienda veritate (cum aequae tutos secundum illos faciat probabilitas) sed etiam ut non essent solliciti, ut inter sententias probabiles deligerent eas, quae sunt magis probabiles; quandoquidem non minus tutas censerent illas quae sunt aequae probabiles, imo quae sunt minus probabiles. Qui proinde pro regula sibi statuunt hodiernam probabilitatem, plus altero latiore sibi praefigunt regulam, quam alii, qui veritatem. Hinc necessum, ut qui hanc vitam durante inceserunt per viam probabilitatis, non sapius imo minus saepe tenuerint viam veritatis, quam si ex forte veritatem inter & falsitatem vitam suam transigissent. Ut ut sit, manifestum hinc est, ut qui mores suos secundum probabilitatem dirigit, agnoscat se vitam tenere, quam non ex proposito ad veritatem, sed ad quidpiam quod ad veritatem & falsitatem indifferens sit, tendatur.

#### CONCLUSIO QUARTA.

*Ex Scriptura S. ostenditur quod Regula morum statuenda sit Lex aeterna, aeterna Sapientia, Veritas, Justitia aeterna, non autem Probabilitas.*

Quomodo pro morum regula *Lex aeterna* statuenda sit, probant omnes Scripturae S. libri, tam Historici, quam Sapientiales & Prophetici Veteris testamenti, tam Evangelia, quam Epistolae, & alia Novi Testamenti: siquidem in omnibus discimus vitam secundum Dei legem esse instituendam, ut Deo placita sit; & ex adverso mores nostros a Domino Deo improbari, ac supplicio dignos esse, si vita nostra secus instituatur. Et hic quidem totius Scripturae scopus est, nisi quod quidam libri de ista morum regula subiunde non sub conceptu legis sed sub idea *veritatis* aut *justitiae*, vel etiam sub consideratione *sapientiae* loquantur: quod postremum maxime fit in libro qui dicitur *Sapientia*. Et sane si sufficeret pro regula morum sibi statuere *probabilitatem*, id est, regulam tanto latiore quam sit *veritas*; cur inter tot Scripturae S. libros non reperitur saltem unus, qui ejusmodi regulam proponat? Cur non laudantur homines, quod eam fuerint secuti? Cur per *sapientiam* potius, quam per *probabilitatem* dicuntur sanati, quicumque placuerunt Domino a principio? Cur non potius per *probabilitatem* quam per *veritatem* dicimur liberandi? cur non perinde probabiles saltem innuuntur esse rectae, sicuti dicuntur *justitiae Domini rectae*. Cur potius jubemur *scrutari legem Dei*, quam hominum *probabilitatem*? Et denique quare Scriptura S. potius docet a Deo petere *legis*, *veritatis*, *justitiae* & aeternae *sapientiae* notitiam, quam circa res agendas *probabilitatis* cognitionem, si sufficiat pro regula morum sibi praefigere *probabilitatem*? *Da mihi Domine*



*Domine*, inquit auctor libri Sapientiae, *sedium tuarum assistentem sapientiam*. Et S. Jacobus: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, &c.* & in omnibus pœnè versibus Psalmi 118. aded prolixi, aut beati dicuntur *qui ambulant in lege Domini*, aut legis istius noticia petitur: nusquam autem in totâ Scripturâ S. vel semel petitur, aut petenda innitur noticia probabilitatis. Si sufficiat pro regulâ morum sibi loco veritatis statuere probabilia, sed omnia certò vera docuit, vel potius de ipsa veritate quæ Christus est, singulariter dictum est *ipsum audite*; nisi Pater cælestis per hoc significatum voluisset, quod Moyses Prophetis & Evangelio comprobantibus, veluti morum regula statuendus sit ille, qui non solum est *vita*, sed etiam *veritas* & *vita* Tria circâ argumentandi genus hâc conclusione expressum, vel potius unum illud argumentum observanda sunt. Primum assertionem probatam esse hanc, *morum regula statuenda sit lex aeterna; non probabilitas*. Secundum hoc quo jam usi sumus argumentandi genus, non veluti metaphysicale, sed ut morale à nobis proponi. Tertium, non proponi quasi singula hic commemorata seorsim, sed quod omnia junctim probent intentum. Ex Matth. 15. habemus quod culpabiles fuerint, qui in praxi sequebantur hanc doctrinam: Filii satisfaciunt ergâ patrem & matrem indigentem, dicendo nimirum cum veritate *munus quodcumq; est ex me tibi proderit*; quia non solum de Scribis & Phariseis, qui doctrinam istam tradebant, sed etiam de populo qui eam in praxim deducebat pronuntiavit Christus: *ambo in soveam cadunt*. Sensus doctrinæ à Christo reprobatae potest assignari duplex. Primus, licitum est filiis non aliter succurrere patri & matri indigenti, quam dicendo, oblatio quæcumq; à me offertur Deo, tibi proderit. Secundus, quod filii possent se excusare, dicendo: quidquid ex me vobis prodesse possit, jam tum est Deo in oblationem devotum: siquidem verba illa, *munus quodcumq; est ex me tibi proderit*, duplicem illum sensum admittunt. Quatuor circâ illam Phariseorum doctrinam sunt observanda: primò probabilitas ejus intrinseca: 2. probabilitas extrinseca; 3. qualitates populi doctrinam istam recipientis: 4. materia istius doctrinæ. Pro intrinseca probabilitate poterant Scribæ & Pharisei allegare, quod Pater cælestis videatur magis honorandus per Sacrificia, quàm terrenus per eleemosynas: præterea quod per Sacrificia potius occurrendum est necessitati spiritali parentum, quam eleemosynas corporali. Deinde quod parentes corporaliter participarent de Sacrificiis, dum fortè ad ea à filiis invitabantur, cum ipsis de Sacrificiis comederent: denique, nimirum secundum sensum posteriorem, cum res parentibus ante promissa illicitè offeratur Deo, vice versâ res ante devota Deo non licitè videtur tradi parentibus. Hæ rationes allegatæ pro dicta sententia comparentur cum rationibus, quas varii allegant pro suis sententiis probabilibus. Pro extrinseca probabilitate dictæ Phariseorum & Scribarum doctrinæ, faciunt sequentia: Judæi præ aliis sub cælo nationibus erant in lege Dei peritissimi & inter Judæos peritiores erant Scribæ & Pharisei, potissimum (ut verosimile est) qui residebant in Metropoli, id est Jerosolymis. Præterea, cum ea dicatur fuisse *Seniorum*, non hujus, aut illius, sed indefinitè, videtur fuisse sententia communis Scribarum & Phariseorum tunc viventium: deinde cum vocetur *traditio*, videtur à prædecessoribus suis fuisse accepta. Denique commendatur autoritas tradentium illam doctrinam, quia Christo Matth. 23, testante, *sedebant super Cathedram Moysis*, id est erant in munere docendi legitimi successores ipsius Moysis. Hæc allegamus ut constet quod judicio populi Scribæ & Pharisei tunc fuerint viri *docti*. Nunc quærendum foret an etiam *probi* fuerint: non asserimus quod revera probi fuerint, nec refert tanti ad rem nostram, quàm quod judicio populi fuerint *probi*. Quanta autem fuerit populi æstimatio de Phariseorum vitæ probitate, videre licet in Flav. Josepho Antiquitatum Judaic. l. 18. c. 2. ubi ipsorum autoritas ab eminenti probitate quam in illis vulgus suspexit, describitur. Præter intrinsecam & extrinsecam probabilitatem doctrinæ Scribarum & Phariseorum, pro excusatione populi facere videbatur; quod lege veteri tum ad occasum declinante, & nova necdum tunc ortâ, populus iste esset in moralibus admodum rudis & indoctus; ut perdifficilè illi fuerit deprehendere circâ probabilitatem intrinsecam vel extrinsecam defectus, si qui erant: quibus omnibus accedebat quod doctrina de quâ quæstio, non erat circa interna ad hominis sanctitatem necessaria, uti sententiæ quæ hoc sæculo probabiles vocatæ sunt, de dilectione Dei, de exercitio fidei, &c. Non erat quoque circa vitam ipsam, prout sunt Recentiorum quorundam opiniones, de occisione hominis, de inferendis bellis, &c. nec versabatur Scribarum & Phariseorum



rifeorum doctrina circa ea à quibus aut nostra aut aliorum falus dependet; veluti funt ho-  
 dierna probabiles de non virandis quibusdam peccatorum occafionibus, de promovendis ad  
 Ecclefie munia minus dignis, &c. fed circa bona quedam terrena, eaque in facrificium of-  
 ferenda, Quibus tamen omnibus non obftantibus Chriftus dicit, *ambo in fontem cadunt*: adeo-  
 que non foli Phariſæi docentes; fed etiam talia agentes. Quomodo ergo excufabitur vulgus  
 per hoc quod viri, quem *doctum* vocant & *probum* fequatur in praxi ſententiam, rationibus, ut  
 ſæpè fit, etiam minoris momenti innixam, idque circa materias longè majoris momenti?  
 Quomodo, inquam, in rebus adeo gravibus ſemper excufabitur populus Chriftianus, cum  
 in longè vilioribus non fuerit excufatus populus Judaicus, etſi hic populus non videbatur pro  
 illo tempore ullis, vel totius mundi Doctõribus poſſe credere tutius quàm Scribis & Phari-  
 ſæis, qui habebantur adeo *docti*, tantâ autoritate ſtabiliti, tanto numero aucti, &c. Nec ſa-  
 tiſſet huic argumento, ſi circa rationes aut fortassis etiam circa autoritatem doctrinae Phari-  
 ſæorum & Scribearum detegantur defectus: quia circa multas opiniones non ita pridem in  
 Theologiam moralem invectas facilè deprehendentur defectus etiam graviores. Poſtremo  
 circa doctrinam Scribearum & Phariſæorum notandum quod Chriftus Dominus traditiones  
 ipſorum opponat mandatis Dei, dum ait: *quare vos transgredimini mandata Dei propter traditionem  
 veſtram?* Et poſtea quibusdam interjectis: *ſine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata  
 hominum.* Ex quibus patet Scribas & Phariſæos falſe culpatoſ, quia docebant doctrinas reverè  
 legi Dei contrarias: fed culpatoſ non fuerant quia docebant doctrinas carentes probabilitate:  
 ſiquidem non dixit Chriftus, *frustra me colunt docentes doctrinas & mandata ſine probabilitate*: fed *do-  
 centes doctrinas & mandata hominum*; id eſt, doctrinas & mandata ab hominibus inventa, & legi  
 Dei contraria nec dici poteſt quod Judæorum vulgus ideo excufatum non fuerit quia doctrina  
 Phariſæorum erat apertè falſa, & rationis luminis manifeſtè repugnans: quandoquidem apud  
 vulgus, ut ex Joſepho loco ante citato patet, ſumma fuerit æſtimatio de probitate Phariſæo-  
 rum: cum quâ æſtimatione non conſiſtit quod populo fuerit manifeſtum dictam Phariſæorum  
 doctrinam impingere in jus naturæ. Quomodo enim potuiſſet vulgus Scribas & Phariſæos  
 ſuſcipere ut eminenter probos, ſi fuiſſet manifeſtè falſum quod dictam doctrinam traderent  
 contra jus naturæ, idque, prout tunc etiam debuiffet innotefcere, ex ſordida avaritiâ.

## CONCLUSIO QUINTA.

*Doctrina de uſu probabilium antè diſcripta non conſiſtit cum reſponſis Clementis III. &  
 Innocent. III. docentium IN DUBIIS SEMITAM ELIGANDAM ESSE TUTIORUM.*

Clemens III. cap. 12. de homicid. volunt. vel caſ. ſic ait. "Ad audientiam Apoſto-  
 latus noſtri pervenit quòd cum quidam Presbyter volens corrigere quemdam de  
 „ familiâ ſuâ cingulo quo cingi ſolebat ipſum verberare tentaret, contigit quod culcillus de  
 „ vagina quæ cingulo adhærebat elapſus eum in dorſo aliquantum vulneravit. Poſtmodum ve-  
 „ rò cum ille vulneratus aliquamdiu vixiſſet, & convaluiſſet à vulnere, aliâ graviore, ut di-  
 „ citur, infirmitate percuffus, viam eſt univerſæ carnis ingreſſus. Quia vero utrùm occaſio-  
 „ ne vulneris diſceſſiſſet, dubium habetur; tua diſcretioni duximus reſpondendum, quòd  
 „ cum in dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem; te convenit injungere Presbytero memorato, ut in  
 „ Sacris Ordinibus non miniſtret: & eidem injuctâ penitentiâ congruenti poteris concedere  
 „ ut minoribus ordinibus ſit contentus; ſi verò ex alia infirmitate obierit, poterit ſicut  
 „ erat ſolitus divina Officia miniſtrare:; Caſus ad quem reſpondet Innocentius III. habetur  
 in cap. 5. de Cler. excom. quia capitulum hoc prolixius eſt, en ejus compendium. Epi-  
 ſcòpus Hildeſemenſis relicta Eccleſia ſua Hildeſemenſi, ſine facultate occupaverat Eccleſiam  
 Herbipolenſem: delegatur propterea Epicoſopus Magdeburgenſis ut Hildeſemenſem ex-  
 communicet, niſi hic intra 20. dies ab adminiſtratione Eccleſiæ Herbipolenſis deſiſtat. Her-  
 bipolenſis excommunicatus, in excuſationem ellegat quòd cum Magdeburgenſis non eſſet  
 ſuus Judex ordinarius, non crediderit quòd monitione non præmiſſa, autoritate delegata  
 poſſit



possit procedere contra ipsum, aut sententiam promulgare: undè cum nec ante factum moni-  
 torias, nec postea ab eo litteras accepisset, se peccare non credidit si divina celebraverit,  
 præsertim cum ei non nisi per famam de sententia contra eum lata constaret. Ad hunc casum  
 respondit Pontifex: "licet autem in hoc non omnino culpabilis videatur extitisse, quia tamen  
 „ in dubiis via est eligenda tutior, etsi de sententia in eum lata dubitaret, debuerat tamen potius  
 abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare". Circa casum prioris capituli *Ad audientiam*  
 tria sunt observanda, ex quibus nascitur dubium. Primum quòd de isto homicidio meritò  
 dubitetur an fuerit plusquam casuale: quia dum cingulo verberabat, contingit quod cultellus  
 de vagina quæ cingulo adhærebat elapsus, eum vulneraverit. Secundò vulneratio videtur  
 fuisse levis, ut colligitur ex modò, & quia dicitur, *aliquantum vulneravit*. Tertio quia vulnera-  
 tus convaluerit, & aliquandiu vixerat, hinc patet facillè potuisse evenire ut dictus Presbyter  
 revera non incurreret pœnam irregularitatis. His tamen non obstantibus Pontifex pronun-  
 tiat: quòd cum *in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*, conveniat Presbytero memorato injun-  
 gere, ut in Sacris Ordinibus non ministret. Nec dici potest quod Pontifex ibi constituat jus  
 novum & speciale: siquidem cuilibet Capitulum legenti clarum est quod Pontifex, præ-  
 supposita lege ante lata de irregularitate ex homicidio, respondeat juxta id quod ex tali lege &  
 tali factò, secundum naturam rei est constans. Circa alterum capitulum de Cler. excom.  
 iterum notanda sunt quæ in excusationem faciebant, quorum primum quod Hildesemensis  
 crediderit Judicem delegatum non posse procedere ad excommunicationis sententiam sine  
 prævia monitione. Secundum quòd sine prævia rursus monitione non possit procedere ad  
 promulgationem sententiæ. Tertio Hildesemensi non nisi per famam constabat quod esset à  
 Magdeburgensi excommunicatus: propter quæ fatetur ipsemet summus Pontifex, quod  
 Hildesemensis in hoc non videatur omninò culpabilis, id est, in hoc quòd non se gesserit  
 ut excommunicatum. His tamen rursus non obstantibus etiam hinc Pontifex respondit, *quia ta-  
 men in dubiis via est eligenda tutior*, etsi de sententia jam lata dubitaret, debuerat tamen potius ab-  
 stinere, quam &c. facile est videre quod in casu saltem prioris capituli agatur de lege, cujus  
 materialis, ut vocant, transgressio, si talis revera extitisset, non attulisset alicui damnum in bo-  
 nis temporalibus, in vita, aut quod maximè nocivum, in rebus ad æternam salutem spectanti-  
 bus prout tam multæ sententiæ quas probabiles vocant. Et tamen in casibus per dicta capi-  
 tula expressis, quia *dubium est*, respondent Pontifices quod *semitam debeamus eligere tutiorem*: ergo  
 etiam sic oportet in probabilibus, cum ut ante ostensum, omne probabile sit dubium. Lo-  
 quuntur enim Pontifices non de dubiis restrictis ad dubia negativè, sed generatim de dubiis.  
 Nec mirum, cum positivè dubium, ut patet ex conclusione prima, possit esse minus verosim-  
 litè quam dubium negativè: unde nusquam exprimitur in Jure Canonico quòd in dubiis  
 negativè, potius quàm in dubiis positivè debeamus eligere semitam tutiorem. Præterea illi  
 ipsi casus de quibus Pontifices loquuntur in cap. citatis potius sunt positivè quam negativè  
 dubii, ut videre est ex iis quæ pro excusatione allegavimus. Nec dici etiam potest quòd idèd  
 sic oportuerit potius in casibus istorum capitulorum, quia erant dubii practicè, probabilia verò  
 solum sunt dubia speculativè: nam casus capitulorum idèd, judicio Pontificum erant dubii  
 practicè, quia speculativè: idem proinde etiam dicendum de probabilibus Deindè (quod no-  
 ratu dignum) quomodò potest fieri ut quod probabiliter tantum, id est, *dubiè licet praticare,*  
*certò liceat praticare?* Concludendum ergo quòd in probabilibus *debeamus semitam eligere tutiorem,*  
*sive quòd in probabilibus via sit eligenda tutior, velut in alio capitulo 3. de Spons. In his quæ*  
*dubia sunt, quod certius existimamus tenere debemus.* Quæ verba satis apertè indicant quòd regula ista,  
 licet aliis locis aliter expressa intelligenda sit etiam in superioribus expressionibus, de semita  
 sive viâ, quam conscientia nobis dicitur esse tutiorem: siquidem intentum regulæ est ostendere  
 qualiter agendum in dubiis, ut non agamus contra conscientiam; nunquam enim peccamus  
 contra conscientiam dum in dubiis id eligimus quod certius existimamus. Cum quo consistit  
 ut quis terrenis affectibus excæcatus, & idèd tutius existimans quod legi Dei contra-  
 rium est, peccet tunc agendo contra legem Dei, etsi non contra conscientiam. Patet hoc ex  
 communi Theologorum doctrina tradentium adversus hæresim Cælestii & Abailardi dari pec-  
 cata ignorantia: Etenim si peccetur ex ignorantia, quia nimirum voluntaria, potest quoque  
 peccari



peccari dum ex simili ignorantia inter dubia æstimatur tutius, quod legi Dei contrarium est; vel potius dum ex tali ignorantia in talibus circumstantiis id agitur, quod legi Dei contrarium est.

## CONCLUSIO SEXTA

*Ex Decretis Alexandri VII, anno 1665. & Innocentii XI, anno 1679. colligitur non subsistere doctrinam de usu probabilium anterioribus Conclusionibus expressam.*

**A**lexander VII. 45. propositiones Christianæ disciplinæ relaxativas, damnat ut *scandalosæ*, Innocentius XI. 65. ejusmodi opiniones proscibit ut *minus tamquam scandalosæ & in praxi perniciosæ*. Hinc conficitur quod ejusmodi opiniones, non obstante suâ probabilitate quam eis recentiores aliqui Theologi tribuebant, fuerint ante earum condemnationem, ut Alexander VII. loquitur, *scandalosæ*, & ut Innocentius XI. *ut minus scandalosæ & in praxi perniciosæ*. Siquidem nimis stolidum est dicere, quod Summi Pontificis opiniones istas suâ condemnatione scandalosæ & in praxi perniciosæ fecerint: nihil enim certius, quàm dictas opiniones, quia ante scandalosæ & in praxi perniciosæ erant, idcirco fuisse proscriptas: nam si opiniones istæ, quæ vocantur aut vacabantur probabiles, factæ sint scandalosæ & in praxi perniciosæ per proscriptionem, cum ante per probabilitatem fuerint, ut volunt, in praxi tutæ; dicendum erit quod Pontificis suâ proscriptione nihil boni Ecclesiæ, sed potius multum mali attulerint, dum 110. sententias, quæ ante in praxi erant tutæ; jam fecerint suis Decretis scandalosæ & in praxi perniciosæ. Quomodo se hic extricabunt probabilitatum patroni? Dicentne quod opiniones istæ ante condemnationem non fuerint suâ probabilitate in praxi tutæ? Si hoc dicant, quomodo subsistat ipsorum doctrina de usu probabilium antè expressa? An fortè admittent quod istæ propositiones per condemnationem factæ sint scandalosæ & in praxi perniciosæ? Si illud admittunt, dicant consequenter quod dicti Pontifices graviter nocuerint saluti Fidelium, dum viam Cæli, quæ antè erat tantò latior, nec ideo secura minus, jam fecerint tantò arctiorem, nec idcirco securam magis. Superest ut probabilitatum Patroni confugiant ad subsequens disjunctum, dicendo, vel opiniones istas non fuisse probabiles, vel si fuerint probabiles, non potuisse velut scandalosæ & in praxi perniciosæ condemnari. Quod postremam disjuncti partem attinet, refutatione non eget: quia istud asserere est unius alteriusvè docentium, quos doctos vocant & probos, authoritatem supra censuras Pontificum & ipsius Ecclesiæ evahere: quin etiam non difficile esset inde inferre, quod plures valebit authoritas unius alteriusvè illorum, quos doctos vocant & probos, dum hi dicunt quidpiam esse licitum, quàm Summi Pontificis aut Ecclesiæ dicentium istud esse illicitum. Non subsistit etiam prior pars antedicti disjuncti, scilicet quod opiniones à Summis Pontificibus condemnatæ ante condemnationem non fuerint probabiles, nam plures istarum opinionum, quod ostendere facillimum est, & fortè omnes, habuerunt quidquid probabilitatum Patroni requirunt ut opinio quæpiam dicatur probabilis, ex. g. octava & nona inter condemnatas ab Innocentio XI. *Comedere & bibere usque ad satietatem non est peccatum, modo non obstitit valetudini, quia licetè potest appetitus naturalis suis actibus fieri.* Item: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.* Quas propositiones ante suam condemnationem, necesse est habuisse eminentem probabilitatis gradum apud plerosque illorum, qui tantâ animositate oppugnant doctrinam Lovaniensium, seu verius Augustini de actibus referendis in Deum. Notum etiam est quàm ingens fuerit recentiorum numerus tradentium tertiam inter condemnatas ab Innocentio XI. hanc scilicet: *generatim dum probabilitate sive intrinsecâ, sive extrinsecâ, quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeat, consistit liquid agimus; seu per prudenter agimus.* hæc enim propositio includitur in vasto illo, ac aded universaliter à tot Recentioribus admissio principio: *licet agere id quod probabiliter non est contrarium Legi.* Quin etiam propositio 26. quantumvis homini cordato etiam primo intuitu appareat summè scandalosa & perniciofa, habuit tamen quæ Recentiores requirunt ad probabilitatem extrinsecam: propositio in hunc modum sonat: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causâ, sive alio quocumque sine jure*



*se non fecisse aliquid quod reverà fecit, intelligendo intrà se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam diem ab eà in quâ fecit, vel quolibet aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.* Hanc propositionem habuisse illa quæ Recentiores requirunt ad probabilitatem extrinsecam, imo plusquam ipsi requirunt, ostenditur in hunc modum: solummodò requirunt auctoritatem unius alteriusve docti, ut vocant, & probi: at verò liber ex quo ista propositio ad verbum desumpta est (ut nihil dicamus de Censore ipsius ordinario, nihil de Collegis, dicti libri comprobationibus & laudatoribus) pro illâ sententiâ adducit octo vel novem authores, inter quos recenset nonnullos qui à Recentioribus Authores Classici vocantur. Numerus hic procul dubio non parum auctus est ab hinc annis plus minùs 50. id est, ex quo liber iste editus fuit: siquidem Alexandro VII. teste, contigit interea summam istam luxurantium ingeniorum licentiam in dies magis excrecere circa opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas & animarum perniciem inferentes. Habuit ergò ista propositio dum liber iste conscriptus est, id quod Recentiores requirunt ad probabilitatem extrinsecam; & multò magis illud habuit; dum eandem opinionem decursu tot annorum complures alii authores sunt amplexi: ex quibus indubitatum relinquitur, quod dicta opinio ante condemnationem Innocentii XI. abunde habuerit quod Recentiores requirunt ad probabilitatem extrinsecam. Ex quibus omnibus rursus conficitur falsum esse quod summi Pontifices Alexander VII. & Innocentius XI. non condemnaverint propositiones, quæ ante condemnationem erant juxtà appellationem Recentiorum probabiles. Infertur secundò quòd istæ propositiones fuerint scandalosæ & in praxi perniciosæ, quando ante condemnationem vocabantur probabiles. Tertiò colligitur inde quod non subsistat Recentiorum doctrina de usu probabiliū expressa in Conclusionē 2.

## CONCLUSIO SEPTIMA.

*Dictum Recentiorum quorundam principium de usu probabiliū non consistit cum doctrina S. Augustini & Veterum Scholasticorum.*

**I**N nuperis Thesisibus de Peccatis Ignorantiæ Conclusionē 8. ostendimus, quod secundum S. Augustinum ignorantia juris naturæ non excuset in totum agentem contra illud: ex Conclusionē decima patet idem esse consecutaneum ex sententiâ Veterum Scholasticorum de ignorantia juris naturæ, nimirum non excusari in totum agentem contra illud. Quod eadem etiã sit sententiâ Lovaniensium cuilibet notum est. Itaque juxtà S. Augustinum & Veteres Scholasticos, non excusatur in totum quisquis etsi ex ignorantia, modò tamen liberè; transgreditur jus naturæ; non excusatur, inquam, etsi plenè ignoret, id est, etsi pro certò habeat quod non agat contra jus naturæ: adeoque multò minùs excusatur, si jus naturæ transgrediat, dum solummodò æstimat probabile se non agere contra jus naturæ. Etenim si hoc solum æstimat probabile, necessum est ut ei incertum sit num sua actio non sit reverà juri naturæ contraria: neque enim potest hoc non esse incertum, cum notissimum sit quod omne probabile sit incertum. Si hoc illi incertum sit, minùs excusatur transgressio juris naturalis, quàm si pro certo haberet se jus naturale non transgredi: quare si juxtà S. August. & veteres Scholasticos ignorantia juris naturæ nunquam excuset in totum agentem contra illud, pro indubitato habendum, necessum esse ut secundum eorum sententiã etiã non excuset probabilitas. Porrò etsi evidens sit hæc consequentia: ignorantia juris naturæ nunquam excusat in totum agentem contra illud, ergo etiã non probabilitas; non tamen vicissim sequitur; non in totum excusat probabilitas agentem contra jus naturæ, ergo etiã non ignorantia: nam qui scit actionem à se exercendam solum probabiliter fore non contrariam legi naturæ, scit subesse periculum ne sit reverà juri naturæ contraria: adeoque peccat; imprimis quia juris naturæ transgressio, si reverà contra illud agat, prævideri facilè potuit ut verosimiliter secutura. Secundo, etiã tunc peccat, quando in ejusmodi casu probabilitatis exercet actionem quæ re ipsa non est juri naturæ contraria, peccat, inquam, ratione periculi transgrediendi jus naturæ, cui periculo se exposuit sine justâ causâ, si non erat simile periculum in omissione actionis.

Duplici



Duplici ergo ex titulo non valet hæc consequentia: probabilitas non excusat agentem contra jus naturæ, ergo etiam nunquam excusat ignorantia: primum quia transgressio, si revera contingat, in casu probabilitatis est magis voluntaria, quia facilius prævideri potuit, quam in casu omnimodæ ignorantia; secundo quia in casu probabilitatis videt quod se exponat periculo: adeoque peccat propter temeritatem, si non erat simile periculum in omissione actionis: quæ temeritas non habet locum in casu plenæ ignorantia. Hæc non ideo à nobis dicta sunt quasi existimemus quod ignorantia juris naturæ aliquando excuset in totum agentem reverà contrà illud: sed idcirco hæc diximus, quia quidam probabilitatum Patroni sic loquuntur ac sstante dictum principium de usu probabilium non posset everti, nisi supponendo sententiam quam veluti intolerabilem traducunt, nimirum quod nulla ignorantia juris naturæ unquam excuset in totum agentem contrà illud. Contra hos ergo dicimus ex hac sententia de ignorantia juris naturæ, quæ S. Augustini & veterum Scholasticorum est, sequi quod probabilitas non excuset in totum agentem contrà illud, non tamen sequi è contrà, probabilitas non excusat, ergo etiam non ignorantia similiter non sequitur: ignorantia excusat, ergo etiam probabilitas.

## CONCLUSIO OCTAVA.

*Ex doctrina S. Thomæ evertitur antedictum principium de usu probabilium.*

**S** Thomas quodlibeto 8. art. 13. sic habet: " duobus modis aliquis ad peccandum obligatur: unò modò faciendo contrà legem, ut cum aliquis fornicatur: aliò modò, faciendo contrà conscientiam, etiamsi non sit contrà legem, ut si conscientia dicit alicui, quod leve re festucam de terrâ sit peccare mortaliter: ex conscientia enim obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione: illud autem quod agitur contrà legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod sit secundum conscientiam: quod autem nec est contrà conscientiam, nec contrà legem non potest esse peccatum. Ex his manifestum est juxta S. Thomam peccari duobus modis; 1. modus est agendo contrà legem, quod dicit semper esse malum: non excusat ergo probabilitas actionem legi Divinæ reverà contrariam. 2. modus est agendo contra conscientiam. An hoc modo peccetur sequendo sententiam probabilem, patebit per exemplum quo doctrinam suam S. Thomas declarat. Pro exemplo namque allegat habentem plures præbendas, supponendo quod Magistri aliquot opinentur id licere, & quod nonnulli alii Doctores id opinentur esse illicitum: nam ut alibi habet ( scilicet quodlibeto 9. a. 15. ) "inveniuntur de illa quæstione Theologi Theologis & Juristæ Juristis contraria sentire. Casum de pluribus præbendis exprimit his verbis. "Dicendum est ergo, quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, alteram falsam: aut ergo qui agit contrà opinionem Magistrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contrà veram opinionem, & sic, cum faciat contrà legem Dei, non excusatur à peccato, licet non faciat contrà conscientiam: sic enim contrà legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod verè licet habere plures præbendas: & tunc distinguendum est: quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contrà conscientiam faciens, quamvis non contrà legem: aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quamdam dubitationem ducitur contrarietate opinionum; & sic si manente dubitatione plures præbendas habet periculo se committit, & sic procul dubio peccat. Uti secundum doctrinam S. Tho. prius traditam, ita juxta explanationem ejus, per exemplum habentis plures præbendas, peccatur semper quando sive ex ignorantia, sive ex probabilitate fit aliquid contrà legem Dei, dicit enim, *quia agit contrà veram opinionem Magistrorum... cum faciat contrà legem Dei, non excusatur à peccato, licet non faciat contrà conscientiam.* Præterea ex doctrinâ istâ S. Thomæ, & potissimum ex ejus explanatione per dictum exemplum, colligitur quod secundum S. Thomam peccetur agendo ex probabilitate, dum quispiam hæc ratione exponit se periculo agendi contrà legem Dei: Aliquando, ut ait, *in quamdam dubitationem inducitur contrarietate*



tate opinionum, & si sic manente dubitatione, plures præbendas habet periculo se committit, & sic procul dubio peccat. Pro quo notandum quod opinionum contrarietate non semper in dubitationem inducamur, quia non tunc, quando nos habemus ut certò verum quod aliis solummodo est probabile: tum verò contrarietate opinionum in dubitationem inducimur, quando opinio quam sequimur, quemadmodum aliis, ita etiam nobis est tantum probabilis: nam omne probabile est incertum; adeoque dubium. Quare si cum ejusmodi dubitatione exerceatur actio, quæ probabiliter est contra legem Dei, ex gr. habere duas præbendas, juxta S. Thomam peccatur, agendo nimirum contra conscientiam dubiam; deberet enim in hujusmodi dubiis, quemadmodum aiunt Summi Pontifices, *semitam eligere tutiorem*; vel ut aliter exprimitur *in his quæ dubia sunt quod certius existimamus tenere debemus*. Ex quibus omnibus faciliè est videre quomodo dicta S. Th. doctrina destruat ante dictum principium de usu probabilium, ut merito quemadmodum refert Contensonius, Amadæus Guimenæus in tractatu de opin. prob. num. 6, dixerit hæc (ex S. Th. allegata) *si vera sint; & operantibus ex opinione probabili*.

## CONCLUSIO NONA.

*Ratione ostenditur falsitas sæpius dicti principii de usu probabilium.*

Quisquis exercet actionem, quæ probabiliter est contra legem, sive humanam, sive Divinam, & specialiter, si contra naturalem, dum scit in omissione istius actionis nihil esse mali, sine justa necessitate exponit se periculo agendi contra legem, adeoque peccat: nam juxta regulam lumine naturali notissimam, non solum peccatur, malum determinatè eligendo, sed illius mali periculo sine justâ causâ se exponendo. Hinc Summi Pontifices dicunt in ejusmodi dubiis *semitam vel viam eligendam esse tutiorem*; vel ut alius, *in his quæ dubia sunt quod certius existimamus tenere debemus*. Quæ regulæ non tam juris positivi, quam juris naturalis sunt; & per omnia congruunt communi doctrinæ Theologorum de voluntario in causa, sive, ut aliter vocant, voluntario interpretativè, vel indirectè: secundum quam doctrinam censetur quispiam interpretativè velle aliquod malum, ex gr. si quis sine justâ necessitate committat se periculo lædendi aliquem hominem: adeoque peccabit qui sine justâ necessitate exponit se periculo agendi contra legem: etenim si non liceat, nisi fortè justa necessitas compenset, admittere periculum hominem lædendi; etiam non licet, nisi iterum justa necessitas compenset, ponere actionem in quâ est periculum agendi contra legem Dei: siquidem ideo prius non licet, quia admittendo periculum hominem lædendi, sine justâ necessitate exponit se periculo contra legem Dei agendi; quin imo idcirco jam tum agit contra legem Dei vetantem se tali periculo tali modo exponere. Cur ergo pariter non dicitur peccare, qui sine justâ necessitate exercet actionem in quâ est periculum agendi contra legem Dei? Imo, cur pariter hoc ipso non agit contra legem Dei prohibentem rursus tali periculo tali modo se exponere? Iterum dico: si illicitum est eo modo se exponere periculo agendi contra legem Dei propter *dubium facti*; cur non similiter illicitum est isti periculo se exponere propter *dubium juris*? Atqui hoc postremum facit qui exercet actionem probabiliter legi Dei contrariam, dum scilicet non est simile periculum in omissione actionis: nam si ratione culpæ majoris imminens, aut majoris verosimilitudinis de culpa æquali in omissione sit majus periculum vel potius si quis æstimet majus esse in omissione; tum non malè aget exercendo istam actionem: quia è duobus malis eliget minus, sive in dubiis *semitam eliget tutiorem*, vel, ut monet alia regulæ expressio, *quod certius existimat tenebit*, adeoque non peccabit, actionem in illis circumstantiis exercendo: non peccabit, puta, contra conscientiam: nam conscientia dicitur, & dictare debet, præsuppositâ ejusmodi dubitatione, eligendum esse quod tutius existimamus: cum quo tamen consistit, quòd tunc adhuc peccetur contra legem Dei. Patet ex S. Th. anteriori conclusione citato. Patet quoque ex communi Theologorum doctrina de peccatis ignorantia, quæ peccata, ut Theologi fatentur, saltem tunc committuntur, quando ex ignorantia voluntaria fit transgressio legis: jam verò certissimum est fieri sæpè ut homines ex ignorantia voluntaria æstiment tutius, quod reverà legi, etiam Divinæ, imò & naturali est contrarium, adeoque ex

pro-



probabilitate, tali casu cum in modum exercendo actionem revera legi Dei contrariam, etsi non peccet contra conscientiam, peccabit tamen contra legem. Ex quibus rursus manifestum est, quod non uno titulo negandum sit antedictum principium de securitate probabilium: cum nec securitatem adversus peccata contra conscientiam, nec securitatem adversus peccata contra legem, quam utramque promittit, prestare valeat. Eiusdem penè rationis est argumentum, quod defumitur ex communi Augustini, Thomæ & aliorum Theologorum definitione peccati; *dictum, factum vel concupitum contra legem æternam*: etenim cum notum sit quod probabile in moralibus non minus se extendat ad ea quæ sunt contra legem æternam, quam ad illa quæ sunt secundum illam, consectaneum est ut is cui pro regula morum sufficit probabilitas, censeatur non minus velle agere contra legem æternam, quam si illi sufficeret fors inter agere contra legem æternam & agere secundum illam: sed nemo dixerit, saltem quando potest haberi certitudo non agendi contra legem æternam, sufficere istam sortem; adeoque quando omittendo actionem potest haberi certitudo, quod nil fiat contra legem æternam, non potest dici quod ut ponatur actio satis sit, si probabiliter credatur non adversari legi æternæ, cum ista probabilitas, non minus quam fors respectu hominis actionem illam exercentis extendat sese ad agere contra legem æternam & agere secundum illam. Imo cum pleraque quæ hodie à Recentioribus quibusdam veluti probabilia inventa sunt, revera sint longè minus probabilia, quam illorum oppositum, necessum est ut ordinatè ejusmodi probabilia verosimilium sint contra legem æternam quam secundum illam; ubi antedicta fors se omninò æqualiter habet ad utrumque. Patet præterea ex dicta definitione quod regula morum debeat esse lex æterna, adeoque non sufficit pro regula morum, sibi statuere probabilitatem, prout fit secundum dictum principium de usu probabilium. Patet denique ex ista definitione quod regula morum debeat esse æterna & immutabilis, ac proindè non sufficit pro regula morum sibi statuere probabilitatem, quæ æterna non est: sed est pro temporum & hominum varietate mutabilis. Inter argumenta à ratione connumerari etiam potest quod defumitur ab inconvenientibus quæ ex dicto principio sequuntur. Quæ & quanta sint illa inconvenientia, colligere licet ex 2. Conclusionem in qua ostensum est quod per illud, quemadmodum rectè dixit Cardinalis Bona, factum sit ut *vix detur præcepto locus: quia tot iam sunt de humanis actibus opiniones, ut fere liceat quicquid libet.*

## CONCLUSIO DECIMA.

*Refelluntur quadam argumenta quæ allegantur pro dicto principio de usu Probabilium;*

**P**ræcipuum argumentum quod pro dicto principio allegatur ab autoritate, fundatur in autoritate, seu potius numero Recentiorum; sed hoc argumentum tam est imbecille, quam ratio cui principium istud innicitur. Quod Patres attinet, illi de rebus agendis consulti, non secundum probabilitatem, sed quoad fieri poterat, secundum veritatem responsa sua dare, & vitam, actionesque aliorum instituere satagebant. Quis unquam illos respondisse dicat, quod modò Recentiores, *hoc verosimilium non licet: sed quia oppositum est probabile idcirco equidem in praxi tutum est: vel ut alii, licet & non licet, quia utrumque est probabile, & multa similia probabilitatum patronis usitata.* Præcipua ratio pro dicto principio probabilium allegatur hæc: prudenter inquirunt, assentimur sententiæ quæ est probabilis, ergo prudenter exercemus actionem juxta sententiam probabilem. Responderetur: assentiri propositioni, est consideratis omnibus tam pro veritate quam pro falsitate, vi illorum determinari ut potius veram quam falsam judicemus. Hinc repugnat ut assentiamur propositioni cuiquam quamdiu illa nobis est minus, aut æque probabilis ac contradictoria: quia quamdiu iudicio nostro non habentur potiora pro veritate quam pro falsitate, non possumus vi illorum determinari ut propositionem potius veram quam falsam judicemus: adeoque non possumus assentiri isti propositioni, id est, ejus veritati; secus de assensu præstando probabilitati. Veritati propositionis quam judicamus magis probabilem assentiendo, non videmur assentiri prudenter, dum scimus oppositum etiam esse probabile, adeoque periculum esse ne noster assensus sit falsus. Sed gratis demus quod veritati propositionis magis probabilis assentiamur prudenter, imò quod etiam veritati æque probabilis, & minus probabilis; prorsus tamen neganda est consequentia



quentia hujus argumenti: prudenter assentimur sententiæ probabili: ergo prudenter exercemus actionem juxta sententiam probabilem: ex. gr. fingamus probabilem esse hanc (nam quod talis sit negamus) licet tibi occidere furem fugientem cum tuo equo; demus insuper quod illi assentiens non agas imprudenter; quia licet sit periculum præbendi assensum falsum, non est tamen ut supponis, periculum ne tu, vel alius te instruens ex illa falsitate agat: non sequitur equidem quod occidendo furem non agas imprudenter: exponis enim te periculo gravissimi & irremediabilis mali impingendi scilicet in legem æternam per occisionem hominis. Allegatur præterea ad confirmandum dictum principium, quod Christus dicat: *jugum meum suave est & onus meum leve*: vetum nec Augustinus, nec alii Patres dicunt jugum Christi fieri suave per usum probabilitatum; sed per charitatem: hæc enim præcepti farcinam levem facit, redditque eam non solum prementem onere ponderum, sed etiam sublevantem vice pennarum. Dum proinde quidam probabilitatum Patroni, ut jugum Domini leve redderent, charitatem Dei & Proximi sustulerunt, idem egerunt, ac si avi alas abscidissent ut levius volaret. Vide Augustinum serm. 22. de verb. Dom. Item Antonium Celladeum Professore Larensem in opere suo de rectâ doctrinâ morum p. 1. l. 1. q. 2. §. 3. Quod autem præcipue de charitate dicimus, inquit, est proportione suâ tenendum de cæteris virtutibus: nam ut ex Ethicis constat, & experientia demonstrat, virtutis proprium est promptè & delectabiliter operari: aliæ quidem id restrictè & in suis solum materiis efficiunt, aliæ universalius, ut humilitas, obedientia, penitentia, & imprimis charitas. Ita ille, & dicitur q. 4. conatur ostendere, quod via contraria potius reddat difficillimum jugum Christi, viam, inquit contrariam voco eam quæ in rebus ipsis præceptis facilitatem & suavitatem quærit in eumque finem eò ut obligationes diminuatur, seu laxetur; atque id inter alia opportunum dicit, quod quorumlibet & quomodolibet probabilitatum usus liceat. Dum enim opiniones, quæ benignæ vocantur auferunt obligationem Deum & Proximum diligendi, orandi, occasiones peccatorum vitandi, &c. causa sunt, ut idem author ostendit, quod Deus & Proximus non diligantur, quod non oreretur, quod occasiones non vitentur, &c. atque ita præstant ut longè difficilius lex Dei, etiam quoad cætera, adimpleatur, cum auferantur illa, ratione quorum mandata Dei sunt facilia, & quibus ablati sunt difficillima; cum difficillimum sit sine charitatis affectu erga Deum & Proximum ea facere quæ Deo & Proximo debemus: item sine oratione, & inter medias peccatorum occasiones peccata vitare. Ad stabiliendum principium de probabilitatibus etiam adfertur hoc argumentum: si Superior quidpiam mandet, quod juxta sententiam probabilem est licitum, certum est quod Subditus obtemperare possit, etsi huic sit probabile, imò probabilius illicitum esse quod mandatur; ergo licet sequi sententiam non solum probabilem, sed etiam minus probabilem, imò alienam; quin & minus tutam. Antecedens perit videri hac ratione: quando duæ concurrunt obligationes, quarum una est certa, altera dubia, isti potius quam huic, cæteris paribus, obtemperandum. Respondetur, antecedens in sua generalitate acceptum repugnare sententiæ SS. Aug. & Th. ac veterum Scholasticorum de Ignorantia juris naturæ numquam in totum excusante quod contra illud sit. Repugnat etiam decretis Alex. VII. & Innocent. XI. quatenus ex his habetur quod propositiones illic condemnatæ, *scandale & in praxi perniciose fuerint* ante condemnationem. Ponamus enim quod Superior aliquis Subdito jam ignorantem condemnationem, vel ante condemnationem proscriptas propositiones habenti ut probabiles, mandet ut omnes illa in praxim deducat, vel ut aliquas determinatè, ex. g. quæ permittunt jurare cum restrictione mentali, hominem occidere pro auro & similes: quis audebit dicere quod tali mandato licitè obediatur Subditus? Nec refert quod hic certò sciat Superiorem mandare, ut cum restrictione juret, quia debuisset scire quod illud mandatum sit illicitum, sicut debuisset scire quod tale juramentum sit illicitum: deinde hoc ipso quo supponitur ille vel dubitare an res mandata sit per se illicita, ad minus dubitabit, an Superior mandet *de iure*, licet certus sit quod mandet *de facto*: debet proinde etiam præsuppositâ malè fundatâ dubitatione non jurare cum restrictione mentali, cum scire debeat quod cum tali dubitatione jurando exponat se longè majori periculo, quam tali mandato Superioris non obediendo: exponit enim se periculo impingendi in legem æternam & incommutabilem, non hominis, sed ipsius Dei, idque in re incomparabiliter graviore, longè quippè gravius est peccare, & hominem pro uno auro occidere contra legem æternam ut satisfiat voluntati hominis



minis: quàm hujus mandato non parère, ne sit perjurus aut homicida. Verùm fingamus quod in prædictis casibus certò liceat Subdito ob mandatum Superioris jurare cum restrictione mentali, item hominem occidere pro uno aureo: nihil equidem inde conficeretur pro dicto principio de usu probabilium; sed solummodò sequeretur actionem quæ sepositâ quâdam circumstantiâ erat judicio alicujus probabiliter illicita, posse ob circumstantiam supervenientem fieri certò licitam: quòd in ista terminorum generalitate nullatenus repugnat cum illis quæ hætenus à nobis dicta sunt. Lubenter enim admittimus quod actio quæ seposita quadam circumstantia erat illicita, propter circumstantiæ illius accessum possit fieri certò licita, Ex. gr. seposita necessitate non licet baptizare in materia quæ solum probabiliter est aqua: quod tamen certo licet in extrema necessitate; ex quo patet nos non rejicere omnem usum probabilium. Quod à quibusdam pro dicto probabilium usu velut regula adducitur: Confessarium debere pœnitentis sententiam probabilem sequi, non plus habet verosimilitudinis quàm Patrem spirituales obstringere ut sequatur sententiam filii suæ directioni commissi, aut Magistrum, ut discipuli; vel Medicum, ut ægri; vel denique Judicem ut sequatur sententiam Rei: siquidem Confessarius & Patrem agit, & Magistrum, & Medicum, & Judicem; non in rebus perituris, sed in æternis. Nihil quoque ad istud principium stabiliendum facit regula juris in 6. in dubio; ut quidam expriment, melior est conditio possidentis, adeoque in casu probabilitatis melior est conditio hominis possidentis libertatem agendi quod vult Respondetur quod regula perperam extendatur quoad expressionem, materiam, & sensum. Quoad expressionem quidem, nam regula quæ est sexagesimaquinta inter illas quæ habentur in sexto Decretalium sic habet: *in pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*: supponit ergo utrimque esse *dubium æquale*. Perperam etiam regula extensa est quoad materiam: quia jus istud non disponit nisi de temporalibus, non vero de spiritualibus, quæ illi non subsunt: adeoque non de exercitio virtutum, nec de observantia præceptorum Divinorum. Perperam etiam extensa est regula quoad sensum, dum ita intelligitur, quasi in pari delicto & causâ *totum* esset possidentis; cum solum dicatur ejus conditio esse *potior*, & tantò quidem potior est: quantò major ex possessione nascitur præsumptio pro possessore: hinc paupem aut nihil hñc facit possessio brevis temporis, aut paucorum dierum. Malè ex regula inferitur, quod possessoris habentis jus minus probabile *conditio* debeat esse potior; malè quoque inferitur quod in casu æqualis probabilitatis res possessa tota cedere debeat possessori,

## CONCLUSIO UNDECIMA.

*Quæ requirantur ut is qui sententiam probabilem sequitur non peccet contra conscientiam; & quæ ut non contra legem.*

EX superioribus conclusionibus primò habetur, dum actio *tibi* probabiliter est illicita non sufficere quod eam exerceas, etsi probabiliter imò probabilius sit licita, supposito nimirum quod omissio certò sit licita: nam si actio *tibi* probabiliter sit illicita, etsi probabilius licita, dubium *tibi* erit an non sit illicita; non licebit proinde ejusmodi actionem *tibi* non certò licitam præponere ejus omissioni certo licitæ: nam ut S. Aug. l. 1. contra Donatistas: cap. 3. *graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo titulo quod certis incerta præponeret.* Ex superiori Conclusionone patet quod probabile possit aliquo eventu ob circumstantiam supervenientem fieri certum: adeoque tunc per ejus usum non peccatur contra hanc regulam. Secundò habetur ex superioribus Conclusionibus, si tam actio quàm omissio ejus probabiliter sint illicitæ, eligendum esse id in quo minus apparet periculi: ex quo rursus patet nos non omnem probabilium usum rejicere. Non dicimus, in quo est minor verisimilitudo illiciti: potest enim subinde minor verisimilitudo culpæ gravioris habere plus periculi, quàm major verisimilitudo culpæ levioris. Eligendum proinde id in quo consideratis omnibus apparet minus periculi: nam ut aiunt summi Pontifices, in dubiis via est eligenda tutior. Malè ex his infer, dum probabiliter contendis pro re temporalis, quæ saltem in æquivalenti est divisibilis, nos te obligare ut totum cedas alteri: siquidem in talibus contentionibus, dum occasione factorum aut juris positivi est controversia, absolutè tutum & æquitati conforme est, ut res illa vel ei æquivalens inter con-

ten-



tendentes mutuo consensu dividatur; æqualiter quidem, si jus utrimque sit æque probabile; inæqualiter, si juris probabilitas sit inæqualis; quo tamen posito servanda erit proportio partis recipiendæ, ad probabilitatem juris; ut cui minor est probabilitas, siue minor apparentia juris, minor rei dividendæ portio obtingat; & quantò major tibi est probabilitas tantò major tibi cedat rei dividendæ portio. Porro etsi ex his regulis tene certum, dimitte incertum, item in dubiis via est eligenda tutior, habeatur securitas ne quis peccet contra conscientiam; non tamen, nisi adhuc alia observentur, habeatur securitas ne peccet contra legem. Etenim prout in nuperis Thesibus de peccatis ignorantie ostendimus contra hæresim Celestii & Abailardi, certissimè tenendum est dari peccata ignorantie: ex quo evidenter confectaneum, fieri posse, ut quis peccet contra legem exercendo illud, quod ex errore (errorem vocamus quemvis assensum falsum) ex errore, inquam, vel ignorantia vincibili aut voluntaria, vel ut alii vocant, culpabili, existimat certò esse licitum; adeoque peccet etsi teneat quod sibi persuadebat esse certum, dimittatque quod sibi persuadebat esse incertum. Smiliter etiam evidenter confectaneum est, fieri posse ut quis peccet contra legem exercendo illud, quod ex simili errore vel ignorantia existimat esse tutius, dum inter dubia est constitutus. Ne ex ejusmodi ignorantia peccetur, cavenda sunt impedimenta, quæ tum ex parte intellectus, tum etiam ex parte voluntatis impediunt notitiam veritatis circa res agendas: assumenda etiam sunt media tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis, quibus veritatis notitia comparatur: de quibus egimus in Thesibus de peccatis ignorantie Conclusionem 5. & potissimum 12. Non audiendus proinde, si quis existimet non orandum iis in rebus, quæ inter viros doctos examinantur, disputantur & probabiliter controvertuntur: nam proculdubio talibus etiam studebat, & de talibus scribebat S. Thomas; in cuius tamen vitâ refertur, quod nunquam se lectioni, nunquam scriptioni se daret, nisi post orationem. Sciebat quippe vir sanctus etiam in istis se posse, tum in animæ suæ periculum, tum in aliorum laqueum errare. Hinc in præmio opusculi 73. tractaturus controversias morales de justitia commutativa & de usuris, sapientiam, siue veritatem, æternam puta & incommutabilem, invocat his verbis: "Invoco ergo ipsam, ne me errare permittat in periculum animæ meæ, & in laqueum aliorum: sed illum, luminare dignetur oculos caliginosos ipso suo lumine, sine quo nemo valet ad lumen veritatis usquequaque perungere. Amen,, orandum ergo censet S. Th. ut in istis materiis, veritate luce, & veritate duce, noscere valeat ipsam; nequaquam ergo erat contentus probabilitate: siquidem sciebat istis in materiis multas inter temporis istius Doctores, existare controversias & probabilitates, ut patet ex sequentibus verbis: "Quoniam verò in dubiis, quorum veritas agnita salutaris est, & incognita periculum ingerit humanæ salutis, admodum utile est veritatem investigare, & temporibus nostris audivimus multas controversias inter Doctores, non solum in naturalibus questionibus, verum etiam in moralibus, in quibus periculum est diversa sentire & opinari, & præcipuè in illa parte justitiæ, quæ commutativa dicitur à Philosophis, & in ista parte ejusdem, quæ vitium usuræ cohibet; ideo circa hanc materiam veritatem declarare, & dubia elucidare quantum Deus donaverit, & noster labor commine pauperis investigationis nostræ attingere poterit, in hoc opere propositum nostrum est."

#### P E R T I N E N S.

**Q**uidquid in his Thesibus traditur contra sæpius dictum principium de usu probabilium, evidenter sequitur ex his tribus principiis autoritate & ratione stabilitis: Tene certum, dimitte incertum. In dubiis via est eligenda tutior. Item qui ex ignorantia voluntaria agit contra legem, peccat.

#### A L I U D.

sive dicas; quod probabiliter legi non est contrarium, certò licet; sive dicas: practicè probabile, est practicè certum; aut quid simile; idem valet ac si dicas: incertum est certum.

#### F I N I S.




























Theles  
Doctorū  
Academia  
Lovan.

Th

2170